



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1706**

Titulus III. De Libelli Oblatione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62656)

renuntiare, eive derogare exempti non possint, per non minus clarum textum *c. Cum tempore 5. de Arbitris* ibi, *Cum, cessi sponte volueris, de jure nequiveris sine licentia Romani Pontificis renuntiare privilegii & indulgentiæ libertatis*. Altera; quod in exemptos jurisdictionem Episcopus non habeat, nisi in casibus Jure expressis: per viam autem prorogationis id fieri posse, Jure nusquam sit expressum.

218. Sed, licet hæc sententia de rigore Juris verior, æquitate tamen spectata, Sylvester *V. Absolutio 5. n. 2. Sanchez Lib. 4. Moral. cap. 39. n. 32. & Laiman in c. Significasti cit. n. 3.* Regularibus exemptis facultatem adstruunt pro absolutionibus & dispensationibus obtinendis, saltem cum has concedere nequit proprius Prælati, cum istius licentia diocesis Ordinario se subjiciendi: nisi ad Papam aut istius Legatum, jurisdictionem in exemptos habentem, facilis esset recursus. Rationem reddunt; quod, cum Exemptionis privilegium per se & directe etiam in favorem Religiosorum Ordinum concessum sit, æquitati & Papæ intentioni conformis non sit ademptio facultatis, in ejusmodi casibus pro absolutione vel di-

spensatione ad Episcopum recurrendis cum, ne, quod concessum est in favorem, in eorum dispendium retorqueatur, contra Reg. *Quod ob gratiam 61. in 6.* tum verò; ne Exemptionis privilegio deterior reddantur Regularibus non exemptis, ejusmodi gratias multò faciliùs obtinentibus, quam ipsi, si eas neque à proprio Prælato Regulari, neque ab Episcopo consequi valentes, ad sedem Apostolicam semper recurrere deberent.

Neque, ut vim magnam habeat, hujus doctrinæ æquitati objecta ratio adversatur; quia exemptis ad prædicta, casu, quò aliunde obtineri facile non possunt, petenda ab Ordinariis: & his ad ea concedenda non deest consensus Papæ, saltem tacitus; & meritò præsumptus ex ratione allata, & privilegiis etiam Apostolicis; quibus à Papa, quod tacite velle meritò præsumi potest, variis Ordinibus Religiosis expressè est concessum, teste Sanchez *l. cit.* Accedit; quòd Episcopus, privilegio seclusò, omnium suæ diocesis Regularium Ordinarius sit: & res ad primordiale suam naturam facile revertatur.



## TITVLVS III.

### De Libelli Oblatione.



Udicium late sumptum, inchoatur à Rei ad Forum competens Citatione: quæ in causis præsertim Civilibus committitur

ad instantiam seu petitionem Actoris, porrectò Judici libellò, intentionem suam declarantis.

ARTICULI.

## ARTICULUS I.

## De Libelli Conceptione, Emendatione &amp; Mutatione.

## SUMMARIUM.

1. Libelli necessitas,
2. Natura & Varietas,
3. Libellus esse brevis & clarus:
4. Ecclesiæ, v.g. cuius causa agitur,
5. Non necessario etiam Actionis nomen continere debet,
6. Etiam in Foro Seculari.
7. Eò petenda est res certa & determinata.
8. Aliquando tamen alternativa,
9. Et generalis petitio suscipitur.
10. Libellus virtute continet syllogismum:
11. Factum exponendum est cum circumstantiis.
12. Actio alia Realis, alia Personalis:
13. Et petendi causa alia Proxima, alia Remota est.
14. In actione Reali proximam exprimi, regulariter sufficit:
15. Expedi tamen, exprimi etiam remotam:
16. Qua omnino exprimenda est in actione Personali.
17. Petitio necessaria est in Conventionali
18. Non etiam in Querimoniali libello.
19. Sententia ferri nequit ex libello inepto:
20. Qui tamen interpretationem admittit.
21. Imò emendationem etiam & mutationem,
22. Emendari usque ad sententiam definitivam:

23. Mutari usque ad litem contestationem potest:
24. Post hanc, mutationem permissam, negantium,
25. Et affirmantium DD. Opiniones,
26. Libello oblato conformanda est sententia,
27. Actor ad causa prosecutionem obligatur,
28. Actiones annales perpetuantur,
29. Interrumpitur prescriptio,
30. Resque sit litigiosa.

**I**N Summario sive extraordinario iudicio, in quo de plano proceditur, petitionem suam Actor non raro vivâ voce, *Clement. Sape 2. V. Nos autem, V. Verum de V. S.* in Plenario autem sive Ordinario in scriptis proponit, *c. 1. hâc Rubr. & l. 1. ff. de Edendo & Iudici offert libellum, illiusque copia traditur reo, §. Offeratur, post can. Inducia 3. q. 3. Glossa in Clem. Quamvis 2. V. Oblato, de Appellat. Iudici quidem; ut sciat, super qua re cognoscat & ferat sententiam; cum ista libello debeat esse conformis, l. Ut fundus 18, ff. Communi divid. Reo verò; ut deliberet, an liti cedat vel contendat, *Aurb. Offeratur C. de Litis contest. & si contendendum putet, cognitâ, quâ convenitur, actione, instructus veniat ad defendendum l. 1. cit.**

Libellus est Scriptura brevis, clara & ordinata, continens & iudici atque reo demonstrans intentionem actoris vel accusatoris, *Cynus in Aurb. cit. & Panormit. ad hanc Rubric. n. 1.* Libellus enim alius Conventionalis est sive Postulationis, qui in Civilibus & proprium interesse spectantibus negotiis offertur: quando scilicet rem aliquam ratione domini vel quasi esse nostram, in eâve jus aliquod nobis competens, aut ex obligatione personali nobis debitum petimus, *c. fin. alius Quer-*

Querimonialis sive accusationis, qui offertur in causis Criminalibus, cum scilicet quis alicujus criminis reus judici deferatur, *l. Libellorum 3. ff. de Accusat. Pirrhing ad banc Rubric. n. 4.*

3. Erit autem Libellus primò Brevis, si, rejectis superfluis, necessaria & utilia, sive ea tantum contineat, quæ, si legitime probentur, faciunt ad intentionem actoris contra adversarium, *l. Ampliorem 39. §. 1. C. de Appellat.*

Secundò Clarus & perspicuus, si litis substantialia & ejus circumstantias, scilicet, *Quis, quid, coram quo, quò jure petatur & à quo*, sive Actorem, Reum, Judicem, Rem coram isto ab illo petitam, & Actionem sive causam agendi distinctè exprimat. Unde

4. Dubium oritur, an Prælati, Ecclesiæ, vel Monasterii sui causam acturus, exprimere in libello debeat suum, vel istius nomen. Istius sive Ecclesiæ vel Monasterii nomen exprimendum; & si suum in libello Prælati ponat, etiam ejus, cujus nomine causam agit, v.g. sc. Ecclesiæ S. Mariæ nomine agere, exprimendum, clarè defumitur ex *c. Litera 3. ibi, Presbyter contra Nobiles viros Ecclesiæ sua nomine libellum obrulit, de Dilation. & c. Inter dilectos 6. ibi, Petebat Abbas nomine Monasterij sui huic restitui portum, de Fide Instrument.* Ratio est; quia Prælati aliàs agere censeretur proprio nomine; cum tamen Ecclesiæ vel Monasterii solius nomine habeat actionem. Idem ferè observandum est syndico, tutori & similibus civitatis, pupilli &c. causas agentibus; cum enim non proprio suo, sed civitatis, pupilli &c. tantum nomine actionem habeant, illorum nomine à se agi, exprimere etiam ipsi debent.

5. Dubium secundò est; an exprimi in libello debeat nomen Actionis. Ratio-

nem dubitandi suggerunt, *l. 1. cit. verba; Qua quisque actione agere volet, eam eedere debet, & l. Non videtur 33. ff. de Judiciis*, juxta quam reus petere potest, edi sibi genus actionis: idque jure optimò; cum secundum vulgatum, Sine actione in judicium trahi nemo possit, *l. Si pupillus 6. §. 12. ff. de Negot. gest.* Nihilominus de Jure & in foro Ecclesiastico Actionis nomen non necessariò exprimendum ex *c. Dilecti 6. de Judiciis*, satis certum, & ratio prompta est; quòd sacri Canones, licet Judicium ordinem observari etiam ipsi velint, *c. Cum dilecti 6. v. Volentes, de Dolo, & c. Ad petitionem 22. de Accusat.* scrupulosas tamen Juris subtilitates non ament, nec magnopere curent, *c. Dilecti cit. & c. fin. de Transact.* & propterea, cum simplici & clara facti expositione rei veritas declarari & cognosci satis possit, æquitate suadente, ultra eam & petendi causam ipsamque petitionem etiam actionis nomen exprimi, non exigant. Idem de foro Seculari Zæsius in *ff. de Edendo n. 8.* & apud Bruneman in *l. Edita 3. C. de Edendo n. 8.* alii tradunt: dummodo ex tenore libelli appareat, qualis actio intenteretur; quidque, & ob quam causam acter petat; cum non multum interfit, proprio nomine quid exprimat, vel demonstratione alia, quæ vice nominis fungatur, *l. Certum 6. ff. de Reb. credit. Gaill. Practic. Lib. 1. Observat 61. n. 9.*

Deinde libellus clarus erit, si careat æquivocatione & absque generalitate vel alternatione eò petatur res certa & determinata, *arg. l. ubi 75. §. 4. & 8. ff. de V. O. & l. Prator 7. §. 4. ff. de Injuris*; quia generalitas obscuritatem, *l. Cum Stichus 29. ff. de Solut.* & alternatio incertudinem parit petitionis: neque facile admittit certam sententiam; cum hæc, ut dictum, conformis esse debeat libello; ac proinde, quando istò exposita petitio incerta est, certa

vera esse ipsa non possit, *cit.* Gaill. *Observat.* 62. n. 1.

9. Ab hac tamen generali doctrina & quasi Regula excipiuntur varii casus, quibus libellus alternativus sustinetur: & Primò quidem id fit, cum reo convento competit electio, *vg.* cum is, cui disjunctivè aliquid legatum est, hoc vel illud sibi præstari ab hærede postulat: cum ultra dimidium læsus ab emptore justii pretii supplementum, vel rescissò contractu rei emptæ restitutionem, *l. Rem majoris 2. C. de Rescind. vendit.* aut creditor traditionem pignoris, vel debiti solutionem petit, *l. Si fundus 16. §. 2. ff. de Lign. & hypoth.* Secundò, si quis probabiliter dubitet de actione sibi competente, præfertim si dubium illud proveniat ex facto alieno, *vg.* cum actor rem petit jure domini vel quasi, *c. Abbas 3. pr. de Sent. & re jud. in 6.* aut dubitans, an res *vg.* equus comodatæ adhuc extet, sibi eum restitui: vel, si perierit, æstimationem præstari petit, *arg. l. 1. §. 4. ff. de Solutionibus.* Tertio, quando incertitudo provenit ex actûs alitujus *vg.* contractûs, testamenti, sententiæ dubio, valore: ut cum Minor vel Ecclesia, contractum declarari nullum, revocari sententiam, aut si de Jure valeant, adversus illum, aut hanc restitui postulat, *c. Constitutus 7. de In integ. restit.* Gaill. *l. cit. n. 4.*

9. Eòdem modò licet, quando res petita particularis est, an ea mobilis vel immobilis sit, an tota vel aliqua duntaxat, & quæ ejus pars petatur, distinctè exprimendum sit, *l. Si in rem 6. pr. ff. de R. V.* nihilominus, quando ad rem universalem, *vg.* hæreditatis petitione, tutelæ vel negotiorum gestorum actione reus convenitur: vel, cum fructus, expensæ, damnum & interesse petuntur, rem generaliter exprimi, sufficit, *l. 1. §. fin. ff. Si pars habet.* cum; quòd hæc, donec super iis co-

gnoscatur, determinata & explorata ordinariè non sint: tum verò; quòd judici, quomodo sententiam ferat, satis constat, *cit.* Gaill. *Observat.* 68. à n. 1.

Tertio, idem libellus Ordinatus erit, si contineat primò narrationem facti: deinde justam causam petendi sive medium concludendi: & demum ipsam petitionem sive conclusionem; libellus enim, saltem conventionalis, virtute continet syllogismum: in quem si redigatur, causa petendi sive medium concludendi ex Jure desumptum majorem; facti autem narratio minorem propositionem: petitio demum continet ex utraque deductam conclusionem, Wesenbec. *in ff. de Edendo num. 3.*

Factum, ut ejus narratio apta sit, **11.** juxta dicta exponi debet cum necessariis circumstantiis; ut quid & quâ actione petatur, intelligatur: petendi causa ex Jure facillè eruatur, & conclusio ipsa sive petitio aptè inferatur, Jalon in *§. Omnium 1. Institut. de Actionibus n. 115.* & ibi Schneidewin. *n. 108.*

Causa petendi sive medium concludendi quodnam in libello exprimendum sit, ut plenius constet, præ oculis habenda est Imprimis generalis & in divisione Juris in id, quod in Re & ad Rem, & *Præm. n. 6.* explicatum est, fundata partitio Actionis in Realem & Personalem: quarum illa competit adversus eum, qui rem nostram possidet vel detinet; etiam si ex ullo contractu vel quasi, delicto vel quasi nobis non sit obligatus; ut adeò hæc actio inharere rei, eamque insequi, dicatur; cum eâ directè petatur ipsa res, & persona ex eo præcisè conveniatur; quòd *vg.* rem super qua convenitur, possideat vel detineat, dolòve malò desierit possidere vel detinere, secundum *Reg. Pro possessore 36. in 6.* nam dolus pro possessione habetur *l. Qui dolo 131. ff. de R. J. l. Sin autem 27.*

autem 27. ff. de R. V. cujus §. 1. Paulus ait, Si sine dolo malo amisit possessionem, absolvendus est: ex quibus ICTi. verbis à contrario arguitur, non absolvendum, si dolo malo amisit possessionem. Quare, si Titio iter facienti & currente rota non advertenti de vehiculo decidit gladius, quem inventum Cajus sustulit &, quòd dominum ignoraret, vendidit aut donavit Sempronio, à Titio pro recuperatione gladii, sicut, antequam venderetur aut donaretur, Cajus, sic post venditionem donationemve Sempronius actione Reali conveniendus est; quòd actio ista rem sequatur, & adversus ejus possessorem datur, l. Actionum 25. pr. ff. de V. O. & l. Si debitor rem 12. ff. de Distract. pignori. Quod si Cajus, gladii dominum sciens, eum dolose in Sempronium transtulisset, Reali actione etiam post translationem conveniri ipse posset; quòd pro possessore habeatur, l. Qui dolo §. 1. c. 1. & possidere, doloque possidere desisse, paria sint, l. Parem 151. ff. Rubr. cit. Personalis verò competit adversus illum, qui ad aliquid dandum, faciendumve aut omitterendum ex contractu vel quasi, ex delicto vel quasi nobis est obligatus: sive rem, super qua convenitur, possideat, sive non: &, sive eam dolo malo possidere desierit, sive non; ut adeo hæc actio inhæreat & insequatur personam, quæ aliquo ex dictis modis nobis est obligata: & non detur adversus personam tertiam, rem, quam à reo petimus, possidentem vel detinentem; atque idcirco, si v.g. Cajus possideat vel detineat equum, quem actori Titius vendidit & non tradidit, illi contra solum Titium competat actio Personalis: non etiam contra Cajum; quòd cum isto nullum negotium gestum sit ab actore, ut rem hanc ad §. 1. Instit. de Actionibus Interpp. latè declarant.

13. Deinde celebris partitio Causæ pe-

tendi in Proximam & Remotam. Proxima in actione Reali est dominium vel quasi. Remota autem Titulus, ex quo dominium vel quasi dominium est ortum, v.g. quòd res legata, donata, vendita simul & tradita sit. In actione verò Personalis causa Proxima est jus competens actori & obligatio ex parte rei, juri illi correspondens: Remota autem contractus vel quasi, delictum vel quasi, ex quo actoris jus & rei obligatio est orta, Gaill. cit. Observat. 61. n. 3. & 4. His premissis.

In Libello actionis Realis causam proximam, puta, in rei vindicatione dominium, quasi dominium in Publiciana, & jus in re in Confessoria actione exprimi, regulariter sufficit: neque opus est, etiam explicari remotam sive titulum, ex quo dominium vel quasi, aut jus illud est ortum. Ratio, cur causam remotam exprimere in hac actione necesse non sit, est; quòd proximam, sive dominium vel quasi, ex quo res petitur, expressà sufficienter instruat reus, an liti cedere, vel iudicium contendere sibi expediat, Glossa in c. & P. Significantibus 2. cum neque ejusdem rei dominium in solidum duo simul habere, l. Si ut certò 5. §. 12. ff. Commodati: neque ejus dominium ex pluribus causis habere, itaque ejus dominus læpius idem esse possit, l. Possideri 3. §. 4. ff. de Adipisc. possess. & l. Non uti 59. ff. de R. J. Accedit; quòd actio in rem v.g. rei vindicatio semper sit uniformis, hoc est, eandem naturam & effectus habeat, quæcunque ejus sit causa remota; cum dominium, ex quacunque causa ortum, unum idemque sit, & pro illius varietate non varietur, Gaill. cit. Observat. 61. n. 7. & 8. Vallent. ad hanc Rubr. n. 6. & Arnold. Rath. Tract. de Actionib. n. 48.

Dixi tamen primò Regulariter Imprimis; quia, cum liber homo vindicatur, causam

causam etiam remotam, v.g. quod filius, uxor, monachus sit, exprimendam, ex *l. 1. §. 1. ff. de R.V. de fumunt Innocent. in c. Conquerente 16. de Offic. Ord. & Panormit. in c. Significantibus cit. n. 13.* Deinde; quia eadem exprimenda est, quando actione Hypothecaria in rem agitur; cum enim eadem res, v.g. fundus Sempronianus, alicui ex pluribus causis hypothecæ nomine obligata esse possit: & harum aliquæ jure prælationis gaudeant, iudicis & rei scire interest, ex qua causa ita obligetur; ac proinde exprimi causam remotam. Ita Pirrhing, *ad hanc Rubric. num. 13.*

15. Dixi secundò, causæ remotæ expressionem regulariter *Non esse necessariam*; utilem enim eam actori, & reo nocivam esse, negari non potest; cum actor, si rem v.g. fundum, proximam causam, sive ejus dominio tantum expresso, vindicans in ejus probatione deficiat & succumbat, postmodum novis dominii probationibus alatis agere volens, rei iudicatæ exceptione valeat repelli, *l. Et an eadem 14. §. 2. ff. de Except. rei judicat.* Contrà, si causam etiam remotam, sive certum titulum, ex quo fundi dominium acquisiverit, v.g. quod sibi donatus vel legatus sit, allegans ex defectu probationis succumbat, postea ex alia causa sive titulo, v.g. quod ex empto à Titio sibi traditus sit, eum vindicare non prohibetur, *l. Si mater 11. §. 1. & 2. ff. Rubr. cit.* Ratio differentiæ est; quod, qui ab initio fundum, causam suæ actionis proximam, sive dominio tantum allegatò, vindicavit, totum jus suum in iudicium deduxisse censetur. Qui verò actionis suæ causam etiam remotam, puta, legati, vel donationis titulum, allegavit, totum jus suum deduxisse, dici non possit; ac proinde ex alia causa v.g. emptione, & hanc secuta traditione, eam vindicans rei iudicatæ exceptione nequeat

repelli per *ll. cit. & c. Abbate 3. de Sent. & re jud. in 6.*

In Libello autem actionis Personalis causam proximam, scilicet petendi jus, & huic respondentem rei obligationem disertè exprimi, etsi possit ac soleat, necessarium non est; cum illa ex remota Jure præsumatur; hoc ipsò enim, quod actor mutuam Titio datum, aut rem v.g. equum ipsi venditum & traditum exprimat, Titium ad mutuam reddendum, vel pretium solvendum ipsi obligatum fuisse: & si solvisse non probetur, adhuc esse intelligatur, *arg. l. fin. C. de Solutio. cit. Rath. n. 48.* Necessariò tamen in hujusmodi actione exprimenda est causa remota, v.g. emptio, mutuam, ex qua ius petendi v.g. centum, & hos præstandi obligatio provenit, per textum *c. fin.* Ubi admittenda dicitur exceptio non expressæ causæ, ex qua petita pecunia debita sit: & iudicis eam non admittentis acta omnia in irritum revocantur. Ratio est; quia in Personali actione causam remotam, v.g. an & ex quo, bonæ fidei, vel stricti Juris, contractu centum debeantur, nosse, plurimum interest tam rei; ut sciat, an liti cedere, vel iudicis contendere expediat: quam ipsius iudicis; ut intelligat, ex qua causa reus actori sit obligatus & actio detur; cum enim una eademque res ex pluribus causis debita esse possit, *l. Et an eadem & §. 2. cit.* debitò præcisè, sive eam petendi obligatione & non etiam istius causam v.g. emptionis, vel mutui contractu explicatò, an petita centum debita sint, satis intelligi non potest, partim propter generalitatem & nimiam incertitudinem petitionis; partim; quod actio personalis pro varietate causarum remotarum sive titulorum, ex quibus descendit, varios habeat effectus, à iudice in proferenda sententia attendendos, Panormit. in *c. Significantibus cit. n. 13.*

17. Gaill. *cit. observat. 61. n. 5. & cit. Rath. n. 51.* Conclusio sive petitio in libello Conventionali apta erit, si iuxta iam dicta, rem, quam à iudice sibi adiudicari postulat, actor sine æquivocatione: & quando ea singularis ac determinata est, sine generalitate vel alternatione petat. *In Conventionali*, inquam; quia in Querimoniali sive Criminali libello sufficit narratio facti, sive expositio qualitatis delicti, vg. homicidii aut Simoniacæ cum circumstantiis personæ, loci, temporis &c. neque opus est conclusione sive petitione: partim; quia eò libellò accusator nihil sibi dari vel applicari petit: partim verò; quia iudex, cognitò & probatò crimine, ex Officio infligere tenetur pœnam privationis beneficii, officii &c. vel corporalem aut pecuniariam sisco applicandam, quæ legibus, statutò vel consuetudine est definita: aut, si definita non est, arbitriam, etsi nemo petat, Felinus *in c. Unie. de Litis contest. n. 10.* & Gaill. *cit. Observat. 61. n. 18.* qui tamen *n. 19.* utiliter monet, casu, quò eiusmodi libellum iudici offerens non tantùm ad vindictam publicam, sed ad privatam etiam interesse, vg. ad pœnam pecuniariam, partim sisco, partim sibi applicandam agit, in libello concludendum, eamque petendam.

19. Porro, libellum aptè concinnari, ad eò necessarium est; ut, si factum, sicut eò expositum est, vel petendi causa, aut ex eis illata conclusio, sive petitio inepta sit, sententia ferri ex eo non possit, & lata sit ipso Jure nulla, ex decisione *c. Dilecti 3. de Empt. Vendit.* ubi irrita ab Alexandro III. pronuntiatur sententia, lata pro canonicis, libellò oblatò petentibus; ut venditio ex causa læsionis ultra dimidium determinatè irrita declaretur; cum disiunctivè, vel pretii supplementi, vel contractus rescissio rei que restitutio petenda fuisset, *l. Rem majoris 2. C. de Rescind. vend.*

Quod licet verum sit, quando libellus ita ineptè conceptus est; ut nullà interpretatione adjuvari & salvari possit, *c. Examinata 15. de Judiciis*: ac proinde tali casu, eò à iudice reiectò, reum ab observatione iudicii absolvendum, eique actorem in expensas condemnandum, monent Ant. de Butrio *in c. cit. n. 25.* & Panormit. *in c. Sicut 16. de Sent. & rejudic. n. 12.* Licet, inquam, hoc ita se habeat, in favorem tamen libellantis, sive actoris libellum offerentis, eum ita, ut non corruat, sed subsistat, verbis etiam latè & improprie acceptis, interpretandum, cum *cit.* Panormit. rectè notant Menochius *Lib. 2. Præsumpt. 40. n. 3.* & Mynfinger *Centur. 4. observat. 5.* Addunt alii, ob ejusdem favorem libellum, in quo plures actiones cumulantur, sustinendum in parte, quà aptus est: etiam si quoad aliam partem esset ineptus; ne utile per inutile vitietur, contra *Reg. Utile 37. in 6.*

Ejusdem actoris favore malè conceptus libellus, ut sustineatur, permittitur emendari, imò etiam mutari. Inter quos actus ea differentia est; quòd mutatione ab actione, prius eò proposità, vel à causà petendi, aut ipsa re petita, quæ libelli Conventionalis substantialia sunt, recedatur, eique alia substituatur: Emendatione verò ejus malè concepti vitii aliquid tollatur; eive aliquid addatur, salvà tamen substantià, sive ita; ut nec factum, nec res petita, nec petendi causa varietur. Quò pro terminorum notitia præmissò

Emendare libellum, non solùm, quæ 22. in eo obscura sunt, declarandò, eumque curiæ sive Consistorii Stylo conformandò; sed etiam, quæ superflua sunt, rescandò, aut errorem in nomine rei petitiæ, in loco & tempore obligationis contractæ &c. corrigendò: vel aliquid, salvà tamen substantià, addendò, vel detrahendò: vel minorem summam, ex eadem tamen cau-



men causâ debitam, petendô etiam post litis contestationem usque ad sententiam definitivam actor potest, per text. §. *Si minus* 34. *Instit. de Action & arg. l. Hæredes* 21. §. 1. ff. *Qui testam. fac. poss.* Ratio est; quia sic neque prima petitio deseribitur, neque actio, neque ejus petendi causa mutatur, Myntinger in §. *Si minus* cit. n. 22. & 24. Vallent. *ad hanc Rubr. n. 12.* & Zoësius l. cit. n. 10. ubi tamen actorem reo in expensas, ex temerarii sive non satis apti libelli correctione ortas, condemnandum monet.

23. Mutationem etiam libelli, tam in Criminalibus, quam Civilibus causis ante litis contestationem permissam, inter DD. satis convenit, & liquet ex l. *Edita* 3. C. *de Edendo*, suadetque ratio; quia ante litem contestatam iudicium propriè nondum est inchoatum; cum ante eam non dicatur quis agere vel petere: sed agere vel petere velle, l. *Amplius* 15. ff. *Rem ratam haberi*, cit. Gaill. *Observat.* 74. n. 4. & Zoësius n. 10.

24. An etiam post litem jam contestatam, dubium reddunt in utramque partem pugnantes textus. Negativa, communiter à Canonistis præsertim recepta, desumi solet ex l. *Non potest* n. 3. ff. *de Judiciis*, Quâ in iudicium deductum differt negatur, quidquid, post illud acceptum, sive litem jam contestatam, accide-

25. rit. Affirmativa autem ex l. *In delictis* 4. §. *fin. ff. de Noxal. act. l. Huiusmodi* 84. §. 5. ff. *de Legat. 1. §. Si quis aliud* 35. *Instit. de Action.* quibus locis, qui per errorem alium pro alio, vg. Stichum pro Pamphilo, vel aliâ, quam competebat, actione, vg. ex testamento pro actione ex stipulatu petiit. cognitâ veritate, libellum mutare, & Pamphilum petere atque ex stipulatu agere permittitur, *In eodem iudicio*, hoc est, quin nova citatione, vel litis contestatione sit opus, ut ver-

ba illa explicat Harprecht in §. *Si quis cit. n. 2.* Ne verò huic suæ expositioni *l. Non potest cit.* adversetur, hanc intelligit de iis, quæ post litem jam contestatam primùm accidunt, hoc est, in obligationem veniunt: non de iis, quæ in obligatione, sive debita jam antè fuerunt; & post eam de illa re jam contestatam, primùm petuntur, atque ad id, de quo lis instituta est, vel re, vel saltem actoris intentione pertinent. Quem istius legis intellectum ingeniosi RR. amplectuntur, & non incongruum censet Haunoldus *Tom. 5. de J. & J. Tract. 3. n. 156.* quantumvis ipse libelli mutatione, lite jam contestata permissam, negantium Opinionem præferat, & cit. §. verba. *In eodem iudicio* cum Zoëzio intelligat, de iudicio latius accepto, quod inchoatur per citationem; ac proinde, hæc factâ libellum usque ad litis contestationem mutari posse, velit. Non etiam post eam jam factam: nisi actor novô libellô uti, & novam instantiam inchoare velit; quod post litis contestationem quis jam obligetur instantiæ, & ab ea recedere vel potnitere non valeat, l. *Is, qui se obrulit* cit. l. *Sed etsi* 42. pr. ff. *de Judic. §. l. Nemo* 4. C. *de Jurisdic. omni. jud.* cum litis contestatione celebretur quidam quasi contractus, per quem litem contestans obligatur ad id, quod in iudicio petitur, si sententia contra ipsum feratur, cit. Gaill. n. 5. & Vallent. n. 12.

Reo tamen expensas, quas ex causâ mutationis libelli, quandocunque factæ, frustra fecit, ab actore refundendas, etque novam actionem edendam, de eaque deliberandi spatium juxta *Novell. 53. cap. 3. §. 1.* concedendum, ex communi aliorum sensu monet Corvinus *Enarrat. C. de Edendo §. Actor tamen.*

Libelli oblatis effectus varii sunt. 26. Primò enim secundùm ejus petitionem

P 3

ac for-

ac formam ferenda est sententia, c. *Cum dilectus* 2. de Ord. cognit. c. *Qualiter* 24. §. *fin. de Accusat.* c. *Licet* 3. V. Nam juxta, de *Simoniam* §. 1. Ut fundus 18. ff. *Communi divid.*

27. Secundò, offerentem sive actorem ad causam usque ad finem prosequendam obligat, postquam reo per judicem est porrectus, *Aurb. Qui semel C. Quomodo & quando jud.* Saltem, si istius, quòd expensas in litem jam fecerit, interfit. Si verò, quòd nullas expensas fecerit, neque aliud incommodum reus senserit, res adhuc esset integra, libellum recuperare & à lite recedere, reò etiam invito, actor posset; ne juxta poenitudinis humanitas amputetur, l. *Si quis* 28. C. de *Appell.* §. *can. Ei, qui Appellat.* 38. §. *Si quis*, 2. q. 6.

28. Tertio, Principi oblatus actiones annales, ut vg. injuriarum est, perpetuat. §. 1. *Temporales* 2. C. *Quando libell Princip.* adeò; ut, si Titius annalem vg. injuriarum actionem adversus Cajum intentare volens, porrectò libellò Principi supplicet, ut concedat judicem delegatum: atque impetret rescriptum, interimq; labatur annus, vel Cajus moriatur, hunc ejusq; hæredem convenire Titius valeat actione injuriarum, ut cum Balbo de *Prescript. pr. p. 6. p. 3. q. 4. n. 6.* tradit Bruneman, in l. *cit. n. 3. & 5.* ubi libelli oblacioni pro rescripto impetrando factæ Principi duos contestatæ litis adstruit effectus: scilicet; quòd actionem ex annali faciat perpetuam & ad quadraginta annos extendat: eamque activè & passivè transire faciat ad hæredem.

29. Quartò, libelli oblacio, secutà rei citatione, interruptit præscriptionem, l. *Sicut in rem* 3. C. de *Prescript.* 30. v. e. l. 40. annor. adeò; ut, si quis denorum ex testamento & totidem ex mutuo, & diversarum etiam quantitatum ex pluribus

causis debitor sit, & oblato libello dena generaliter, non additò, an ex testamento, vel ex mutuo, vel generaliter debitum, quantitate & causa non expressis, petantur, citatione secutà omnium obligationum præscriptio interrumpatur, l. *fin. C. Rubr. cit.* ex cujus Imperiali rescripto Speculat. *Tit. de Libelli concept.* §. 8. n. 3. Petr. Ravenn. *Sing.* 24. & Bruneman, in l. *cit. n. 6.* inferunt, libellò factam petitionem generalem sufficere ad interruptendam præscriptionem in omnibus, quæ sub illa generalitate comprehenduntur; ut, licet talis libellus, parte præsertim opponente, procedere non debeat, antequam declaretur, sufficiat tamen ad interruptendam præscriptionem.

Quintò, eadem, secutà citatione, ab istius reo insinuata die facit rem litigiosam, *Aurb. Litigiosa & Clement. fin. Ut lite pendente.* ut ea vendi, donari aliòve contractu alienari, neque in extraneam, neque in conjunctam personam amplius possit, l. *Lite pendente* 2. l. *Quicumque* 3. C. de *Ecclesia* 3. & 4. *Rubr. cit. ut ad hanc à n. 15.* plenius tradetur.

Libellorum formas sive exempla cum salutaribus eorundem clausulis pro Actionum varietate varias utriusque Fori Præfici dabunt.

## ARTICULUS II.

### De Rei Citatione,

#### SUMMARIUM.

31. Citationis definitio,
32. Et necessitas,
33. Extra casum, quò reus in judicio præsens,
34. Ejusque crimen aut non-jus notorium est.
35. Citatio alia Juris, alia Homini: 36. & 37.

36. Et hæc vel Publica est, vel Privata.  
 37. Publica locus est, cum privata impeditur.  
 38. Vel reus vagabundus.  
 39. Aut contradictor incertus est.  
 40. Vel Clericus ab Ecclesia fraudulenter abest.  
 41. Privata citatio alia Realis, alia Verbalis est.  
 42. Reali graviorum criminum rei in jus trahuntur.  
 43. In Civilibus ei locus non est.  
 44. Extra casus quosdam speciales.  
 45. Verbalis citatio continet expressionem Judicis, Actoris & Rei.  
 46. Causa Loci & Temporis judicij.  
 47. Et, præter judicij Mandatum, exigit ipsius Executionem.  
 48. Et hujus facta Relationem.  
 49. Quæ à publico ministro facta plenam fidem facit.  
 50. Citatio rursus alia Simplex, alia Peremptoria.  
 51. Istiusque varii sunt effectus.  
 52. Quos citatio invalida non parit.  
 53. Nisi eâ citatus in judicio sponte compareat.  
 54. Judex Secularis, an sua sit iurisdic-  
 tio, cognoscit.  
 55. Cum res litigiosa profana.  
 56. Non etiam, cum ea spiritualis est.  
 57. Nisi summarie duntaxat.

31. **C**itatio est Actus legitimus, quò quis juris experiundi causâ in jus sive judicium vocatur, l. 1. ff. de In jus voc. ubi Paulus JCT.<sup>9</sup> ait. In jus vocare est, juris experiundi causâ vocare.

32. Hujusmodi in jus vocatio Mundo condito coæva, & ab iplo ejus conditore Domino Deo contra præcepti sui prævaricatorem Protoparentem nostrum adhibita fuit; cum illum in jus vocans, A-

dam, inquit, ubi es? Genes. cap. 2. V. 9. atque ad eò necessaria est; ut sine ea & contra reum absentem & non citatum lata sententia cum processu toto iplo Jure irrita sit, can. Caveant 2. & can. Omnia 3. q. 2. quorum locorum priori Eleutherius Papa Gallia Episcopis rescribit, Caveant judices Ecclesia, ne absente & non citato eò, cujus causa ventilatur sententiam proferant; quia irrita est: posteriori Cornelius Papa, Omnia, quæ adversus absentes & in jus non vocatos, in omni negotio aut loco aguntur aut judicantur, omnino evacuari præcepit. Consonat e. Ecclesia 10. juncta Glossa V. Non conventi, & Clement. Pastoralis 2. de Sen. & re judic. & l. De unoquoque 47. pr. ff. Rubric. Ratio est; quia citatio pertinet ad defensionem; cum, qui de actu, quò sibi præjudicari, suòque juri derogari potest, non præmonetur, se jusque suum defendere non possit: se autem & jus suum defendendi facultatem & occasionem alicui adimi, Jus & æquitatis Naturalis ratio non permittit, ut cum Baldo in l. Executorem 8. C. de Execut. rei judic. observant Zoelius in ff. de In jus voc. n. 16. Gaill. Practic. Lib. 1. observat. 48. n. 4. & Haunold, Tom. 1. de J & J. tract. 3. 33. n. 7. qui tamen rectè excipiunt calum, quò reus in judicio est præsens, aut actionem contra se intentari intelligens, suâ sponte in illo comparet; cum enim tali casu jus suum tueri possit, cur processus & contra ipsum lata sententia Jure Naturali irrita sit, non apparet.

Neque, ut primò intuitu videri potest, cum asserta citationis rei absentis necessitate pugnant can. fin. 2. q. 1. c. Cum olim 12. de Sent. & re judic. quorum textum illò duo Episcopi Regij sceleris tutores ac fautores absentes depositi: istò clerico ab Episcopo facta Archidiaconatus collatio Apollonicâ autoritate cassata fuit, 34.

fata fuit, licet is fuerit absens. Non, inquam, hæc pugnant & tollunt necessitatem citationis; quia, esto, absentes & contra, quam aliqui divinando existimant, etiam non fuerint citati, utroque tamen casu in crimine & causa notoria ita fuit processum; cum *can. cit.* Regis scelus *Omnibus manifestum*, & Episcopus ei favorem ac tuitionem præstitisse, *Pene totus orbis undique ad Sedem Apostolicam retulisse*, asseratur: *c. cit.* quoque clerico factam collationem subreptitiam fuisse, *Ex Actis liquidum consitisse*, asseritur: casu autem, quo crimen aut partis non-jus est notorium, reusque ullam defensionem non competere, omnino liquidum certumque est, rei absentis citationem non esse necessariam, non minus exploratum, quam certum est, eam necessariam, cum rei crimen aut non-jus, eique defensionem non competere, notorium non est *Glossa fm. in c. Cum sit §. de Appellat.* Panormit. *in c. 1. de Causa poss. & propr. n. 4.* & alii, eam in rem allegantes *can. De manifesta 2. q. 1. & c. Cum sit cit. cujus §. fm.* Alexand. III. reum quemvis audiendum, ac proinde citandum, ait. *Nisi forte manifestus raptor vel fornicator existat: sicut ille, quem absentem & irrequisitum, sive non citatum, Apostolus excommunicavit, 1. Corinth. cap. 5. n. 3.* Ratio est; quia citatio rei decernitur & committitur; ut venire possit ad se defendendum: quando autem ejus crimen aut non jus, eique defensionem ullam non competere, notorium est, ad se in jure defendendum frustra citaretur.

35. Citationis partitio generalis est in eam, quæ à Jure & quæ ab Homine fit, secundum *Clement. Multorum 2. de Pœnis*, quæ excommunicationis aliæque graves pœnæ proponuntur in eos, qui procurant; *Ne viri Ecclesiastici, citati ad Apostolicam sedem ab homine vel à Jure,*

*venire ad ipsam valeant.* A Jure facta citatio dicitur, quando ipsum Jus, sive lex aut canon statuit certum terminum, intra quem iudicio se sistere quis teneatur; sicut electionem aliâve provisionem beneficalem confirmandam impugnantibus & contra eam, interpositâ appellatione, ad sedem Apostolicam provocantibus ab illius interpositâ die: & electi ad Ecclesiam sedi Apostolicæ immediatè subiectam ad petendam confirmationem, à die præstiti consensus in electionem vel istius de se celebratæ notitiæ computandus mensis, præfixus *c. 1. & c. Cipientes 16. de Elect. in 6.* idemque temporis spatium indicat cessatione à Divinis canonicis, à quibus, & iis, contra quos indicta est, constitutum est, *c. Quamvis 8. V. Si autem, de Offic. Ordin. in 6.* Ab Homine verò facta dicitur citatio, quando reo v.g. triginta dierum terminus præfixus est speciali judicis mandato; sicut factum *c. Cum dilecti 6. de Dolo & contum. c. Veniens 15. de Accusat. & c. Glossa in Clement. cit. V. Ab Homine & V. A Jure, Tholosan. Partit. Jur. Canon. Lib. 5. tit. 6. n. 2.*

Ea, quæ ab Homine fit, ulterius vel Publica est, vel Privata: quarum illa in loco publico & coram tota communitate insinuat, vel per *Proclama*, ut loquuntur, sive præconis vocem & aliquando per sonitum tubæ vel campanæ: vel per *Programma* sive Edictum in loco publico, v.g. curiarum aut templorum valvis aut civitatum portis aliòve simili loco affixum. Ista, sive citatio Privata fit in personam ipsius citandi, *Clement. 1. pr. de Judiciis.*

Publica citatio non indiscriminatim omnibus, sed solis necessitatis casibus permixta est: cum scilicet reus aliò modo citari, & citatio ad ejus notitiam pervenire aliter non posse, judicatur, *Clem. cit. V. Nos*

*V. Nos rigorem, Gaill. cit. Lib. Observat. 57. pr. Maranta de Ord. judic. p. 6. de Citatione n. 82. & Pirrhing ad Rubr. de Foro compet. n. 213. veluti*

Primò, cum persona in jus vocanda per se vel per alios quomodocunque procurat; ne citatio ad ipsam valeat pervenire, *V. cit. c. Causam 3. & Extravag. Unic. inter com. de Dolo, c. Ex tua 11. pr. de Cleric. non resid. & l. Dies 4. §. 5. ff. de Damno infect. sic enim, si illa ad impediendam citationem personale intra ædes clausas se contineat, seque videri non patitur, Edictum citatorium ædium janua. præsentibus testibus, affigitur & perinde reputatur, acsi citatio ei personaliter intimata, & in manus tradita fuisset, Speculat. Tit. de Citatione §. Sequitur. n. 16. cit. Maranta n. 86. & Bruneman. in l. Plerique 18. ff. de Inju voc. n. 1.*

Secundò, si ad locum propter hostilitatem, inimicitias, reive citandi potentiam ac prorerviam tutus, ad eumque liber aditus non sit; tali enim casu citationis Edictum affigi potest in loco publico vicino; ut citatio ad rei notitiam verisimiliter valeat pervenire, *Clement. Causam 3. V. Verum, de Elect. & Clement. Unic. V. Nos tamen, de Foro compet. Felin. in c. fn. Ut lite non contest. n. 14. Speculat. §. cit. n. 3. cit. Gaill. Observat. 57. n. 2.*

38. Tertiò, simili modò, si reus vagabundus sit, & ubi personaliter citari valeat, ignoretur, Edictum citatorium in civitate, oppido, aliòve loco, ad quem is frequenter venire, in eoque versari solet, in curia, templo, foro est affigendum, *arg. Clem. cit. & l. Eju qui 27. §. 2. ff. ad Municipal. cit. Maranta n. 83. & Gaill. num. 4.*

39. Quartò, si contradictor est incertus, generaliter citari possunt omnes, quorum interest, v.g. omnes creditores defuncti, vel à loco discessuri aut, qui v.g. in prædio,

aut ædibus aliquid juris sibi competere putant, *l. Si eo tempore 6. C. de Remiss. pignor. cit. Felin. num. 4. Gaill. n. 6. & Maranta n. 89. Sic etiam, cum confirmandus est Prælatus & non apparet, qui ejus electionem impugnet, generali Edictò citantur omnes, qui pro suo vel Ecclesiæ interesse aliquid duxerint opponendum, c. fn. de Elect. in 6. ut ad hanc Rubr. dictum n. 319.*

Quintò, si clericus ab Ecclesia, vel 40. loco beneficii fraudulenter abest; talis enim trinò vel unò peremptoriò Edictò ad Ecclesiæ valvas affixò citandus &, si intra sex menses non comparuerit, beneficiò privandus est, *c. Ex tua 11. de Cleric. non resid. ubi Vivianus & ad Rubr. cit. Pirrhing n. 57. in fine. Sextò, in materia diffamationis per hujusmodi Edictum citari possunt ac solent omnes, qui suà interesse existimant, Gaill. observat. cit. n. 9. in fine.*

Privata citatio ulterius alia Realis 41. est, & alia Verbalis: quarum illà persona rei in jus vocatur per apparitores seu publicos Justitiæ ministros, illam manu apprehensam, captamque ducentes in judicium: cujusmodi realis citationis mentio fit, *c. Si Clericos 15. de Sent. excom. in 6. Istà seu verbali persona in jus vocatur per publicum ministrum vel nuncium, citationem intimantem verbis vel, etiam in scriptis sive per literas: sicut Nobiles & in dignitate constitutæ personæ solent, c. Cum dilecti 6. de Dolo & l. Quatties 17. C. de Dignit.*

Reali citationi regulariter solà 42. auctoritate publicà & pro solis criminibus &, cum de his certò constat, vel persona de aliquo commisso graviter diffamata est, locum esse, *Clari §. fn. q. 28. n. 2. Farinacii Prax. Criminal. q. 27. à n. 112. aliorumque DD. frequentiori calculò approbata & æquitati consentanea doctrina est;*

Q

na est; ne proborum hominum innocentia & integra exillimatio facile indebitè lædatur, arg. l. 1. C. de Custod. reor. Neque pro quibusvis sed pro gravibus & ferè iis tantùm criminibus, pro quibus corporalis pœna imponenda venit, reos capi & incarcerari, cum Panormit in c. Lator 2. de Pignorib. n. 2. tradit Clarus q. cit. n. 1. contra cit. Farinac. q. 27. n. 39. rei capturam etiam pro crimine, pecuniariæ tantùm pœnæ obnoxio, decerni posse, afferentem, arg. l. 1. ff. de Custod. & exhib. reor. & c. Si Clericos cit. ex quo clericos pro delicto pecuniariæ pœnæ obnoxio incarcerari posse, desumit: licet, si de jussoribus de parendo juri datis, dimittendi sint: nisi aliud exigat enormitas excessus & meritò timeatur; ne relictis de jussoribus fugâ se subducant, Franc. in c. cit. n. 2. Barbosa ibid. n. 1. & Pirrhing ad Rubr. de Sent. excom. n. 194. Iis autem casibus, quibus criminosi incarcerationi locus de Jure est, is non solum inventus extra, sed è domo quoque sua ad carcerem abstrahi invitus potest: quantumvis aliàs domus sua tutissimum cuique refugium ac receptaculum sit, l. Plerique 18. ff. de In jus voc. atque idcirco in ædibus suis investigandus nemo sit, l. Nemo 103. ff. de R. J. Gaill. cit. Lib. 1. observat. 48. n. 14. Mynsinger Centur. 4. observat. 69. n. 3. & Bruneman. in l. Plerique cit. n. 2. afferens, hanc & l. Nemo cit. ad Criminalia non extendendam.

Dixi, Regulariter Imprimis; quia in flagranti crimine deprehensus etiam à privato capi ac detineri, non tamen ultra viginti horas potest; ut judici sistatur, l. Interdum 56. §. 1. ff. de Furtis & l. Capite 25. pr. ff. ad L. Jul. de Adult. Panormit. in c. Lator cit. n. 3. cit. Gaill. observat. 54. n. 3. & Farinac. q. 27. à n. 22. Deinde; quia, licet in causis Civilibus reali citationi locus ferè non sit,

l. Ob as alienum 12. C. de O. & A. & l. Nemo 2. C. de Exact. tribut. quâ pro debiti etiam publicis incarcerationi prohibetur, cum; quia, ut l. cit. Imp. ait, Carcer penalis, carcer noxiorum hominum est: tum verò; quia personæ apprehensio & incarcerationi speciem quandam habet & sapit naturam executionis, à qua Civile judicium inchoare Jura vetant, l. 1. C. de Execut. rei jud. non desiderantur tamen casus, quibus ipsa etiam in hujusmodi causis admittitur: veluti Primò, cum debitor fugitivus, aut de fuga suspectus est; ut, si adeundi judicis non sit copia & debitor in loco non habeat bona, ex quibus creditori satisfieri valeat, arrestâ detineri ab isto possit, l. Aut Praetor 10. §. 10. ff. Que in fraud. credit. donec de judicio sisti & judicato solvendo præstiterit cautionem, Peck. de Jure sistenti cap. 31. n. 3. & Bruneman. in l. cit. à n. 22. Et hoc non solum in laico, sed in clerico quoque debitore procedit; nam & hunc, ubi periculum & verisimilis suspicio est; ne cum re nostra, aut debiti solutione non præstitâ, fugâ se subducatur, suo & Ecclesiastico judici sistendum, debito moderamine observato, detineri à creditore etiam laico posse, arg. c. Olim causam 12. de Restit. spoliat. notat Panormit. in c. Cum non ab homine 10. de Judicis n. 17. Felin. ibid. num. 14. & cit. Gaill. Observat. 41. n. 2. Secundò, si reus contumax sit in comparendo, peti aliquando à giudice potest; ut capiatur & invitus in judicium perducatur, l. Contumacium 8. C. Quomodo & quando jud. secundum communem Intellectum apud eitt. Marantam n. 58. & Bruneman. in l. cit. n. 6. Tertiò, si reus sit condemnatus, & sententiæ executio sive debiti solutio obtineri aliter non possit, cit. Marantam n. 58. præsertim, si id curiarum privilegiò & praxi, ut in multis Imperii Civitatibus

Civitatibus, sit receptum, *cis*, Pirrhing n.

214.  
45. Verbalis citatio, si, ut in alicujus momenti causis plerumque solet, in scriptis fiat, ut legitima sit, continere debet

Primo, nomen & cognomen ipsius Judicis, à quo reus in jus vocatur; ut constet non solum, an incompetentiæ vel justæ suspitionis exceptio ei opponi possit: sed etiam, an sit ordinarius vel solummodo delegatus; cum huic parendum non sit, nisi delegationis copiâ, citationi insertâ, doceat de commissione, *c. Præerea 2. de Dilationibus & c. Cum in jure 31. de Offic. delegat.* ut ad hanc Rubricam dictum n. 44.

Secundo, nomen Actoris, ad cujus instantiam in jus vocatur; ut reus intelligat, an in jus vocetur parte aliqua petente, vel ex officio; quod judex hoc, si causa utilitatem publicam non concernat, impertire regulariter non debeat, *l. Ad peremptorium 68. ff. de Judiciis*; ut etiam, an à judicio Jure non removeatur actor, ad cujus instantiam citatur, *Zoefius in ff. de In Jus Voc. n. 12.*

Tertio, nomen ipsius Rei, *c. Significavit 36. de Rescript. & c. Cum in multa 2. ibid. in 6.* qui si non unus, sed plures sint, regulariter omnium nomina exprimenda, vult *Mynfinger Centur. 2. observat. 62.* Si Universitas aliqua, puta, Ecclesia, Monasterium, civitas &c. sit, generalem citationem, v.g. ad instantiam Titii citamus Decanum & Capitulum, Abbatem vel Priorem & conventum, Consulem & Senatores talis Ecclesiæ, Monasterii, civitatis &c. sufficere, monent *Speculat. Tit. de Syndico n. 16. & cir. Gaill. Observat. 49. n. 6.*

46. Quarto causam; ut in jus vocatus sciat, super qua re ab actore conveniatur, *Clement. 2. Ut lite non contest. &*, an liti cedere, vel judiciò contendere

velit, deliberare valeat. Ipsum Actoris libellum Rei citationi inseri, sicut non necessarium, ita utile est ipsi etiam actori; quod ita inducatur liti pendentiæ, circa rem petitam aliquid immutari non permittens: atque insuper deliberatoriæ dilationis petendæ facultas citato præcideretur; *Clement. cit. & c. Præerea 2. de Dilat. junctâ Glossâ, Utrobique V. Plenè.*

Tertio, Locum, in quo & Terminum sive diem, quò citatus coram judice compareat: illum quidem; ut, an in, vel extra judiciis territorium situs & tutus sit: hunc autem; ut, an feriatu sive Juridicus & opportunus sit, constet, *citt. Maranta n. 64. & 65. & Zoefius n. 12.*

Ad eandem citationem privatam, 47. ut Judicialis & perfectâ sit requiruntur tria: & Imprimis quidem Mandatum, sive commissio judicis, aliquem in jus vocari præcipientis, *l. Sed si hac 10. §. 12. ibi, In Jus sine permissu meo ne quis vocet, ff. eadem Rubr. l. fin. C. de Exhibend. reis & c. Ex parte 12. ibi, Cumque auctoritate prædictorum judicum in jus esset vocatus, de Rescript.* Deinde, Executio nuntii sive cursoris, reo citando, diligenter perquisito, citationem coram & in faciem insinuantis: aut, si repertus non sit, & ita citari nequeat, ejus procuratori, si quem reliquit: vel ad domum habitationis, in qua majorem anni partem degere consuevit, domesticis: vel, si nemo adsit, vicinis judicis mandatum exponentis, relicto ibi mandati sive commissio- nis exemplò; ut ad reum citatio pervenire possit, *c. Causam 3. de Dolo & l. Aut qui 5. §. 2. ff. Quod vi aut clam.* Et demum, executionis mandati sive citationis, reo quomodocunque à nuntio insinuata, Relatio facienda judici, aut etiam Notario; & ab hoc in acta Judicialia referenda, ut de citatione legitime facta constet, *citt. Maranta à n. 41.* Quæ relatio de

Q 2

relatio de citationis substantia, ac proinde adeo necessaria est; ut sine ea, nec citatio, neque sententia & processus in contumacem factus subsistat, *l. Hac autem, §. 1. ff. Ex quibus causis in poss. ubi Bartol. n. 1. & 2. cit. Marant. n. 5. & Gaill. Observat. 54. n. 7.* Unde

49. Dubium oritur, an nuntii, citationem in sinuatam asserentis, nudæ relationi plena fides adhibeatur. Ratio dubitandi est; quia dictum nullius, *can. Admonere, 33. q. 2.* ut iudicis etiam solius verbo fides non habeatur, *c. Cum à nobis, 28. de Test. & attest.* imò ipsi etiam nuntio, citationis executionem à iudice sibi mandata asserenti, non credatur: nisi eam sibi factam probet, ut ex communi aliorum sensu tradit Felinus *in c. 1. de Judic, n. 13.* Sed, ut Interpres iste probè observat, inter assertionem nuntii de mandato sive commissione, & de istius executione relatione lata disparitas intercedit; cum ex una, illa de facto alieno ipsius iudicis, ad nuntii officium non pertinente; ista verò sit de facto proprio pertinente ad publicum officium, quod gerit, & ritè, sive ut asserit, obire Juramenti Religione tenetur: ex altera vero parte, licet de facto alieno deponenti testi unico regulariter non credatur, plena tamen fides habeatur, testificantur de actu gesto à se & ex officio: ad quod ritè, itaque, ut asserit, obeundum iudici sive Curie juramentò est adstrictus; quòd perjuris esse non præsumatur: ejusque fides electa & publicè auctoritate sit approbata, *Glossa in c. Cum parati §. 9. V. Suus nuntius, de Appellat. cit. Mewochius de Arbitr. casu 99. n. 4. & Farinacius q. 63. n. 4.* Unde

50. Excipiendus est casus, quòd citatio non per publicum & juratum nuntium, sed per alium quempiam fieret; cum enim talem neque proprium officium, neque

juramenti Religio adstringat, pro eo non stat præsumptio, ut citationem in sinuatam asserens plenam fidem mereatur, *Maunold. Tom. 5. de J. & J. Tract. 3. n. 14.* deinde, quò nuntius etiam publicus citationem assereret personam, in dignitate constitutam; huic enim, citationem ad se pervenisse, cum juramento neganti fidem potius, quàm nuntio, qui plerumque persona vilis est, habendam, aliis relatis docet *cit. Maranta n. 35.* cum antè *n. 25.* monuisset, in multis locis consuetudine receptum; ut nuntio publico & jurato, sicut citationem à se executioni mandata, sic etiam à iudice sibi factam ejus commissionem affirmanti, plena fides à personis citatis habeatur.

Porro citatio alia Simplex, sive, ut etiam vocatur, Dilatoria, alia Peremptoria est. Simplex est, quæ citatum non comparentem contumacem non reddit: nisi tribus vicibus sit repetita, & inter singulas justum temporis, olim quidem decem, hodie verò trigina dierum, intervallum intercedat, *l. Ad peremptorium, §. 8. ff. de Judic. l. Tres §. 9. & Auth. Qui semel C. Quomodo & quando jud. et si tempus hoc, si necessitas tuadeat, extendi à iudice, aut diminui possit, l. Nonnunquam 72. ff. de Judicis.* Peremptoria est, quæ, etiam si non repetatur, tamen in jus vocatum, si præfinità die non compareat, contumacem reddit: & propterea, si unica sit, tantum temporis spatium, quantum tres citationes simplices & verbum Peremptoriè expressum continere debet, *l. Consentaneum §. 1. Nonnunquam cit. Gaill. Observat. 53. n. 21.*

Legitimæ citationis varii sunt Effectus: & Primò quidem inducit præventionem; ut citatus, qui coram pluribus iudicibus potuit conveniri, coram iudice, per citationem alios præveniente, respondere teneatur: licet, domiciliò aut ita



aut statu mutato, alienae jurisdictionis esse caperit, c. *Proposuisi* 19. de Foro comper. & l. *Si quis ff. de Judiciis*. Secundò, perpetuat siue firmat jurisdictione judicis delegati; ut ea citatione mandatà, etiamsi reo antimata necdù sit, delegantis morte non expiret, c. *Gratum* 20. de Offic. deleg. Tertiò, facit rem, de qua controversia est, litigiosam; ut nec alienari, nec circa eam, lite pendente, aliquid possit innovari, *Clement.* 2. *Ut lite pend.* & *Auth. litigiosa C. de Litigiosis*. Quartò, interrumpit prescriptionem longissimi temporis triginta vel quadraginta annorum, l. *fin. C. de Annali prescript.* Quintò, personam citatam ad comparandum adstringit; ut, nisi iustà exceptione vel absentiae causà defendatur, ad instantiam seu petitionem partis in eam tanquam contumacem valeat procedi, l. *Ex quocunque* 2. ff. *Si quis in jus vocatus non venis*, & c. *Ex literis* 2. de Dolo & Contum. Dixi autem, *Ad instantiam*; quia in causis Civilibus iudex officium suum impertiri, ac proinde reum sicut citare, sic etiam contra eum citatum & non comparentem tanquam contumacem procedere non debet, nisi ipsius officium ab actore imploretur, l. *Dies* 4. §. 8. ff. de Damno infecto & l. *Properandum* 13. §. 2. C. de Judiciis, ubi *Jalon* n. 3. *Bartol. in Auth. Qui semel C. Quomodo & quando jud. n. 1.* & in *Auth. Et qui C. de Temp. appell. num. 5.* *Maranta cit. p. 6. de Contumacia, n. 15.* & *cit. Gaill. observat. 55. n. 7.* De quorum legitima citationis effectuum primo *Tit. preced. à n. 143.* de secundo *Lib. 1. t. 29. à n. 87.* est actum. Reliqui magis declarabuntur hòc Librò. Tertius *Tit. 16. à num. 15.* Quartus *Tit. 26. n. 153.* Postremus *Tit. 13. à n. 22.* & *Tit. 14. à n. 1.* Hic

§2. Dubium movetur primò, an hos effectus etiam pariat citatio invalida. Quia in re Negativa aperte prodita videtur

*Clement. Causam 3. de Elect.* verbis, *Intimatio verò aliter facta omni careat Juris effectù.* Ratio est; quòd aliquid non fieri, & non fieri legitime, siue contra leges vel canones, formam actui præscribentes, paria sint, l. *Quories 6. ff. Qui satisd. cog.* & c. *fin. de Restit. Spoliat.* *Tulchus Practic. V. Paria, concl. 87. n. 1.* At, licet hoc verum, perpetuum tamen non est; cum, si reus, ad actoris petitionem à iudice competente, citatione ex defectu aliquo invalidà in jus vocatus, ultro compareat, cogatur respondere libello actoris, l. 1. §. 1. ff. *de Feriis*, vel petere terminum ad deliberandum, ut cum *Baldo in l. Nam ita 39. ff. de Adoption. à n. 3.* advertit *cit. Gaill. observat. 58. n. 2.* Ratio obvia est; quòd, cum in iudicio præsentem citari necesse non sit, juxta dicta n. 33. is, qui ad citationem ex defectu quocunque invalidam in iudicio comparet, perinde ut legitime citatus habeatur & ad exhibitum sibi libellum respondere, vel saltem deliberandis terminum petere teneatur, *Felinus in c. illud 8. de Prescription. n. 8.* ubi voluntaria ac spontaneà comparitione citationem validari & prescriptionem interrumpi ait, *Vantius de Nullis. ex defectu citat. n. 17. cit. Marantap. 6. de Citatione, n. 73.* & *cit. Gaill. à n. 1. ubi, in Camera Imperiali non rite citati in termino præfixo comparentis & contra citationis executionem; quòd ea non rite facta ac proinde invalida sit, opponentis exceptionem non admitti, testatur.* Unde consecutaneum est, casu, quòd reus comparet, ejus citationem vel potiùs comparitionem validæ citationis effectus sortiri.

Dubium secundò est, an citatus comparere teneatur, etiamsi iudex, à quo ad iudicium citatur, incompetens sit. Quod, etsi generaliter negandum videatur, ex l. *fin. ff. de Jurisdic. secundum quam impune non paratur ei, qui supra jurisdictionem suam*

Q 3

nem suam

nem suam jus vult dicere: eique consono-  
num *c. fin. de Constit. in 6.* Communi ta-  
men DD. calculo approbata & usu etiam  
recepta est distinctio inter casum, quò ju-  
dicis & fori incompetencia indubitata &  
evidens, & eum, quò eadem dubia aut  
saltem non evidens est: & priori quidem,  
vg. eum Clericus, aut etiam laicus in cau-  
sa merè Ecclesiastica in jus vocatur à ju-  
dice Seculari, citatum comparendi ne-  
cessitate non arctari, liquet ex *text. cit.*  
Posteriori verò casu ne judicis contemptor  
& contumax reputetur, comparere, *l. Ex-  
quacunque cit.* & proponere debet ex-  
ceptionem declinatoriam Fori: quæ, an  
legitima sit, ipse, à quo quis citatus est,  
judex judicabit, *l. cit. § l. Si quis 5. ff. de  
Judic.* cujus textus est, *Si quis ex aliena  
jurisdictione ad Prætorum vocetur, debet  
venire.* Ratio subjicitur; quia Prætoris est,  
astimare, an sua sit jurisdictio; vocati au-  
tem, non contemnere auctoritatem Præ-  
torianam. Unde

§ 5. Dubium tertio, & difficilioris reso-  
lutionis controversia est de dubio, an cau-  
sa ad Ecclesiasticum vel Seculare forum  
pertineat: de quo à iudice Seculari co-  
gnosci posse, volunt Castro *de Manu Re-  
gia p. 1. cap. 10. n. 1. § Et Oliban. de Jure  
fisci cap. 11. n. 12.* propter generalitatem  
*l. cit.* Contrà, ejus cognitionem soli Ec-  
clesiastico competere, cum Felino *in c.  
Pastoralis 14. de Rescript. n. 4.* Francus *in  
c. Si judex 12. de Sent. excom. in 6. n. 5.*  
Jafon *in l. Exquacunque cit. n. 19.* aliique  
docent; quòd Seculari major & dignior  
sit. Demum, ad utrumque iudicem si-  
mul ejus dubii cognitionem pertinere,  
voluerunt Guido Pap. *decif. 138.* & Re-  
mig. *de Gonni Tract. de Immunit. q. 2. eâ  
peruasi ratione;* quòd in hujusmodi du-  
bio agatur de præjudicio iudicis utrius-  
que, Ecclesiastici & Secularis, quoad ju-  
risdictionem; cum uterque prætere

possit causam ad suum forum pertinere;  
& propterea valde conveniens & iuri  
contentansum sit, ut de eo uterque simul  
cognoscat, *arg. Reg. Quod omnes 29. in 6.*  
sed hæc Opinio, quamcunque æquitas  
speciem præferat, cum utroque Jure  
pugnat; cum, an sua sit jurisdictio, asti-  
matio ad eum, qui aliquem in jus voca-  
vit, pertinere, disertè asseratur *l. Ex qua-  
cunque § l. si quis cit.* & cognitio, an  
qui in jus vocatur, clericus, & propterea  
à Seculari jurisdictione exemptus sit, Ec-  
clesiastico iudici soli adstruatur, *c. Si ju-  
dex cit.* Unde postremâ hæc sententiâ  
rejeclâ

Priores duæ & extremè oppositæ  
conciliandæ sunt beneficiò distinctionis  
inter res, circa quas, an Ecclesiasticæ, aut  
Seculari jurisdictioni obnoxie sint, dubi-  
tatur; etsi enim, cum ea prophana & me-  
rè temporalis, reisque conventus laicus  
est, an sua jurisdictio sit, astimare valeat  
judex Secularis; cum tali casu in ea & in  
persona etiam rei fundatam habeat ju-  
risdictionem: de ejusmodi tamen dubio  
judicialiter cognoscere nequit, cum res  
est spiritualis aut huic annexa, vg. cum,  
an ad rem vel personam jurisdictionis sua  
extendat, quæstio oritur ex dubio de ejus  
consecratione, benedictione, ordinatio-  
ne, professione, aut aliis qualitatibus spi-  
ritualibus, eas eximentibus à jurisdictione  
Seculari, per expressum textum *c. Si  
judex cit.* ubi de ejusmodi dubio judicia-  
lis cognitio Curie Ecclesiasticæ vindica-  
tur ex ratione; *Quòd sit de re Ecclesiastica  
& spirituali:* de qua, uti etiam de re spi-  
rituali annexa cognoscere proprium ju-  
dicis Ecclesiastici est, *c. Decernimus 2.  
c. Quando 3. de Judic. c. Tuam 3. de Ord.  
cognit. c. Lator 5. c. Causam 7. Qui filij  
legit. &c.* Ita cum *cit.* Felino, Franco &  
aliis Covarruvias *Pract. cap. 33. n. 1. Gut-  
tieres Pract. Lib. 1. q. 6. n. 2.* Martha *de  
Jurisdic.*

*Jurisdic. p. 4. casu 145. à n. 1. Felician. Oliva de Foro Eccles. p. 1. q. 28. n. 11. & 31. Unde l. Ex quacunque & l. Si quis citr. textus de casibus, quibus de re prophana & temporali agitur, sunt exaudiendi.*

57. Dixi tamen, *Judicialiter*, hoc est, ut plenæ probationes recipiantur & per sententiam pronuntietur; quia aliqualem & ut ita loquar, perfunctoriam duntaxat cognitionem pro sua informatione sive instructione, an causa ad curiam Ecclesiasticam statim remittenda sit, etiam Seculari judici permittam, *citr. DD. cum Menochio Confil. 912. n. 14.* facile concedunt,

& desumitur ex *c. Si judex citr. §. Et si notorium*, ut *Tit. 2. n. 183.* est ostensum, & suadet ratio; quia, qui vult consequens, velle etiam censetur necessarium antecedens, *arg. l. Ad legatum 62. ff. de Procurat. & propterea, datâ alicui jurisdictione, concessa etiam censetur ea, sine quibus illa nequit exerceri, c. Præterea 5. de Offic. deleg. & l. Cum jurisdictione 2. ff. de Jurisdic. dit.* Judex autem Secularis absque ejusmodi cognitione & informatione scire non potest, an causa statim remittenda sit vel non, *citr. Oliva n. 26.*



## TITVLVS IV.

### De Mutuis Petitionibus.

#### SUMMARIUM.

- |                                                                 |                                                                  |
|-----------------------------------------------------------------|------------------------------------------------------------------|
| 1. Ratio Ordinis,                                               | 13. Sicut coram Ecclesiastico laicus, reconuenitur,              |
| 2. Et Reconventionis introducta:                                | 14. Saltem extra Bavariam,                                       |
| 3. Permissaque coram eodem iudice Ordinario,                    | 15. In qua reconventio multum est restricta:                     |
| 4. Et Delegato, impetrato ab auctore:                           | 16. Clericus in laicum iudicem expressè consentire,              |
| 5. Non etiam coram arbitris compromissariis,                    | 17. Et ab hoc in illum executio à laico fieri nequit.            |
| 6. Vel iudice prorogato,                                        | 18. Reconventio non semper tollitur cessatione à conventionione: |
| 7. Clericus coram laico non reconuenitur, si causa spiritualis, | 19. Et fieri potest etiam in causis non connexis:                |
| 8. Vel Criminalis,                                              | 20. Non tamen coram iudice Appellationis.                        |
| 9. Aut reconventio dolo procurata sit.                          | 21. De crimine Civiliter:                                        |
| 10. In causa Civilis à laico clericus per modum Exceptionis,    | 22. Non etiam Criminaliter agens, regulariter reconuenitur,      |
| 11. Et per modum Actionis coram Seculari;                       | 23. De causis Spoliationis,                                      |
| 12. Spectat ad Jure & Ratione                                   | 24. Et Feudalibus,                                               |

25. De